

P. P.

Muscorum frondosorum hucusque cognitorum conspectum secundum affinitatem naturalem constructum ii, qui systemati cuidam botanico sese dant, admodum desiderabunt. Quale ego opus peracturus botanicos, ut exemplis muscorum originalibus, vel minus notorum vel per se rariorum autopsiae meae subveniant, rogo ac precor.

Quum enim multos muscos tantummodo auctorum imaginibus pictis hucusque cognoscere nobis liceat, ex his solis saepe ambigere oportet, cuinam familiae vel generi adnumeremus: oculis tamen propriis vix tale quid accidat, sed facili opere, quo ducenda sit stirps inter socios, intelligemus, modo autopsia nobis data sit.

Non igitur possum, quin iterum botanicos, ut sua exemplaria ad spectui meo velint suppeditare, quam maxime rogem.

Ernst Hampe
zu Blankenburg am Harz
Herzogthum Braunschweig

Anno 1843.

Monendum.

Praesente aliquamdiu apud me Dno. Carolo Müller, delineandi perbene experto, occasio mihi obviam facta, muscos exoticos vel novos, vel minus cognitos iconibus hisce ad lucem trahendi.

Quas icones in fasciculis cum tabulis denis, Decadem constituendis, Botanicis offero. Decadibus tribus hucusque perfectis spero fore, ut opus videatur haud inutile; quod quum eveniet, post breve tempus continuabo.

Dabam Blankenburgii Hercyniae vere 1843.

Ernestus Hampe.

ICONES MUSCORUM

NOVORUM VEL MINUS COGNITORUM

AUCTORE

ERNESTO HAMPE,

BLANKENBURGENSE.

DECAS PRIMA.

1. Hookeria Patrisiae.	6. Leskea homomalla.
2. — Pappeanae.	7. — Beyrichii.
3. — Meyeniana.	8. Hypnum Meyenianum.
4. — Poeppigiana.	9. — subulatum.
5. Leskea circinalis.	10. — verrucosum.

BONNAE,

SUMPTIBUS HENRY & COHEN.

1844.

DECAS TABULARUM PRIMA

QUAM

VIRO PRAECLARISSIMO

IACKSON HOOKER

DE MUSCIS EXOTICIS MERITISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

1. Hookeria Patrisiae.

Caule elongato arcte adnato parce ramoso; foliis quadriseriatis distichis inaequalibus, superioribus minoribus subincumbentibus, inferioribus sesqui-maioribus patentibus, omnibus cordato-oblongo-lanceolatis acuminatis denticulato-serratis, siccitate apice complicatis falcato-curvatis enervibus; seta glabra apice incrassata incurva; theca ovato-cylindrica demum erecta; operculo protuberante conico-subulato; calyptra glabra eleganter articulato-fimbriata.

Synon. Hypnum Patrisiae Brid. herb. et Bryologiae univer-versalis; incertae sedis.

Hab. in Cayenna Brid. herb.! tum b. Sellow in Brasilia (Montevideo) folio coriaceo adnatam legit; in Herbario regio Berolinensi specimina perfecta adsunt.

Adnot. Laete viridis, interminato elongata, ramis brevibus lateralibus ramosa, radiculis ad basin foliorum inferioris seriei confertis, folio coriaceo arboris cuiusdam arcte adnata, difficile separabilis; seta semiuncialis, apice incurva et incrassata, glabra; theca ovato-cylindrica, deoperculata immutata; operculum protuberans, ex incrassaitone conica in rostrum subulatum, thecam aequans, rectum, pallidum, sub lente diaphanum extenuatum; dentes peristomii exterioris internis leskeoideis concolores, albicantes, diaphani, fragiles; calyptra, glabra pyramidato-mitraeformis, stylo persistente rufescente apiculata, straminea, basi multoties et eleganter articulato-fimbriata.

Locus system. Etsi Hookeriae Swartzii Schwaeg. t. 276. affinis, tamen ab ea modo crescendi, colore magis viridi, caulibus elongatis parce ramosis, foliis inaequalibus eorumque forma et serratura, tandem calyptra fimbriata distat. Praeterea ab. H. flavescente Hook. notis indicatis setaque glabra breviore etc. satis diversa; inter utramque ponenda.

Explicatio tab. I.

1. Muscus naturali magnitudine. Reliquae Figurae auctae sunt: 2. caulis fructiferi pars. 3. calyptra. 4. peristomium modice auct. 5. eiusdem pars magis auct. 6. 7. folia inferioris seriei. 8. folium superioris seriei. 9. folia ramorum jun. 10. pars folii maxime auct.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

2. Hookeria Pappeana.

Caule elongato prostrato, ramis subadscendentibus simplicibus; foliis quadriseriatis distichis semi amplexicaulibus oblique ovato-oblongis acuminatis patentibus superne dentato-serratis immarginatis, nervis binis sublateralibus ad medium evanescentibus; seta erecta glabra apice incrassata incurva; theca horizontali ovato-cylindrica; operculo conico acuminato; calyptra glabra basi partita.

Hab. Ad Cap. B. S. (Zwellendam) legit Pappe; a clarissimo Kunze communicata.

Adnot. Intense viridis: caulis elongatus ramis simplicibus, inaequalibus, irregnlariter pinnatim dispositis, subadscendentibus ramosus; folia quadriseriata, disticha, conformia, patentia, siccitate apice recurva, semiamplexicaulia, basi uno latere inflexo obliqua, ovato-oblonga, breve acuminata, apice usque infra medium dentato-serrata, immarginata, nervis binis inaequalibus unilateralibus ad medium evanescentibus; seta semiuncialis laevis superne incrassata incurva, theca ovato-cylindrica, deoperculata immutata, horizontalis; operculum conico acuminatum, vix breve-rostratum; calyptra glabra flavescens, superne cylindrica, basi campanulato-dilatata sub octoties partita; dentes peristomii exterioris solidi interiores leskeoideos aequantes.

Locus system. Inter Hookeriam polytrichoidem Spreng. et H. incurvam Hook.; a priore proxima differt: statura minore, depressa, foliis distichis minoribus breviter acuminatis, seta semiunciali (in ista vix emersa) theca horizontali et operculo conico acuminato (nec subulato), calyptra deinde glabra (illius pilosa). Ab Hookeria incurva, cuius statura similis: foliis acuminatis immarginatis remote serratis et textura solidiore, etiam peristomii indole prorsus aliena.

Explicatio Tab. II.

1. Muscus magnitudine naturali; caetera aucta sunt: 2. pars ramuli fructiferi. 3. folium caulis. 4. folium perichaetiale. 5. acumen folii perauctum. 6. basis eius cum margine inflexo. 7. calyptra. 8. theca cum operculo. 9. pars peristomii peraucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

3. Hookeria Meyeniana.

Caule elongato procumbente radiculoso ramoso, ramis brevibus simplicibus pinnatim dispositis; foliis quadriseriatis distichis, concaviusculis oblique ovatis acuminatis integerrimis, siccitate apice complicatis parum curvatis enervibus vel striis brevibus ad basin notatis; seta glabra erecta apice incurva; theca horizontali demum nutante; operculo conico-acuminato; peristomii interioris dentibus cum ciliis binis hyalinis teneris alternantibus.

Hab. In Insula Manila legit clarissim. Meyen mihique communicavit. Ad terram crescere videtur.

Adnot. Laete viridis, vel saturate flavescens, sicca parum nitens, depressa, praelonga, repens; rami irregulariter pinnatim dispositi, breves, simplices, subaequales, compressi situatione foliorum, quae disticha vocavi; folia concava oblique ovata acuminata, immarginata, integerrima, enervia, saepius ad basin striis brevibus ex aggregatione cellularum nonnullarum notata, perichaetialia lanceolata, longissime acuminata; seta lutescens, laevis, parum tortilis, apice incurva, vix incrassata, theca ovato-cylindrica, brevis, horizontalis, deoperculata nutans, vel curvatione setae pendula, tandem apice constricta; suburceolata; operculum conico-acutum, vel rostro brevissimo cuspidatum. Peristomium interius hypnoideum, sed cilia tenera, hyalina, conformatione ab dentibus internis aliena, quasi accidentia. Calyptra iunior, cylindrico-campanulata, integra, glabra, flavescens.

Locus system. Colorem et staturam Hookeriae flavescentis simulans, sed H. acuminatae Hook. proxima videtur. A priore iam differt seta glabra et calyptra non fimbriata, etiam peristomio hypnoideo; ab altera colore, ramificatione peristomiique indole.

Explicatio Tab. III.

1. Muscus magnit. natural.; caetera aucta: 2. caulis pars fructifera cum calyptra iuniore. 3. 4. 5. folia situ vario. 6. apex folii perauctus. 7. theca deoperculata. 8. Peristomii pars peraucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

4. Hookeria Pöppigiana.

Caule depresso praelongo ramosissimo, ramis apice aduncis subpinnatis inaequalibus, interdum divisis; foliis concavis late-ovatis breve-acuminatis integerrimis quinque-seriatis subdistichis apice uncinatis, vel parum falcatis; seta glabra apice incurva; theca pendula parva suburceolata; operculo conico acuto; calyptra (iuniore) glabra cylindrico-campanalata integra, peristomio hypnoideo.

Habitat in Peruviae sylvis (Cuchera). Peregrinator celeberrimus D. Pöppig legit, et sub Musc. frond. N. 12. distribuit, commixtam cum Hookeria Hornschuchiana mihi (H. microcarpa Hornsch. flor. brasil. nec Hookeri, quondam Hypnum microcarpum Hedw.) nec non cum Hypno Auberti. Diu pro Hookeria flavescente habui, sed ob iconem a Schwaegrichenio nuperrime datam opinionem mutavi.

Locus systemat. Cum Hookeria Meyeniana nostra inter Hookerias foliis integerrimis enervibus militat. Hookeriae flavescenti ex habitu et colore adsimilis, sed foliis apice falcatis, setaque glabra statim dignoscenda. Ob peristomii interni, ciliis binis teneris interiectis praedito indolem cum H. Meyeniana admodum affini facile commutari posset. Distat vero: ramificatione densiore et irregulari, foliis quinqueseriatis minoribus magis concavis, etiam inter madorem falcatis, cellulis sesquimaioribus magis pellucidis, et foliis perichaetialibus multo brevioribus, theca minore in media parte constricta primitus pendula; vera species est. Hookeriam praelongam Walk.-Arnott ab auctore iam diu rogatam mihi nondum innotuisse doleo.

Explicatio Tab. IV.

1. Muscus magnitud. naturali; caetera aucta: 2. pars caulis fructiferi. 3. folia varii situs. 4. apex folii perauctus. 5. theca deoperculata pendula. 6. peristomii pars. 7. calyptra iunior.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

5. Leskea circinalis.

Caule procumbente ramoso, ramis adscendentibus subdivisis, apice incurvatis, siccitate circinalibus; foliis dense imbricatis subhomomallis concavis ovatis acutis subbistriatis integerimis papilloso-punctatis; theca erecta ovata apice constricta; operculo longirostri recto thecam aequante.

Syn. Helicodontium circinale m. in litt.

Habitat ad arbores Brasiliae; prope Rio Ianeiro lectam, clariss. D. ab Schlechtendal communicavit.

Adnotatio. Genus Helicodontium Schwaegr. a Leskea dirimere nequeo, quum dentes incurvatos peristomii exterioris etiam in Hypnis viderim. Leskea circinalis nostra iuxta Leskeam tenuirostrem et L. Fabroniam Hook. (quae sunt Helicodontia Schwaegr.) ob folia papillosa collocanda; a Leskea tenuirostri differt: statura robustiore, foliis enervibus acutis, ramis circinalibus, operculoque longirostri thecam aequante; a L. Fabronia ramis circinalibus, foliis subsecundis vel homomallis, cellulis densis inconspicuis (ob papillas dense aggregatas) operculoque longirostre thecam aequante.

Explicatio Tab. V.

1. Muscus magnit. natural. caetera aucta: 2. pars caulis fructiferi. 3. folium. 4. folium perauctum ob structuram. 5. sectiones transversales folii. 6. theca humefacta cum peristomio contracto. 7. Orificium thecae cum dentibus (Helicodontii) in statu sicco. 8. peristomii pars madefacta peraucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

6. Leskea homomalla.

Dense pulvinata, sericeo-nitens; caule procumbente radicante ramoso; ramis adscendentibus divisis apice recurvatis; foliis homomallis concavis oblongo-lanceolatis acuminatis integerrimis enervibus; theca adscendente erecta ovato-cylindrica, deoperculata obliqua, apice constricta; operculo rostrato thecam dimidiam subaequante; dentibus peristomii exterioris longissimis interiores imperforatas superantibus.

Hab. ad corticem Banksiae Menziesii Novae Hollandiae, prope Oppidulum Perth. legit Dr. L. Preiss. 19. Aug. 1839.

Adnot. Rami adscendentes, unciales apice recurvi, interdum ob folia homomalla uncinati, vario modo divisi; folia erecta, omnia ad idem latus versa, vel homomalla, ovato-oblonga, lanceolata, acuminata, e cellulis angustis densis conformibus constructa, ad basin obscure colorata, sericeo-splendentia; seta vix semiuncialis, nitens, glaberrima; theca erecta concolor, sub lente tenuissime striata, deoperculata et vetusta fusca, obliqua, apice oonstricta, demum incurva; dentes peristomii exterioris crassi, erecti, internos superantes; calyptra lutescens, saepius stylo longo filiformi fusco coronata.

Locus system. Leskeae caespitosae Hedw. proxima, sed multo robustior et spectabilior. Differt: etiam foliis maioribus latioribusque oblongo-lanceolatis acuminatis, cellulis densioribus, minus perspicuis, colore intensiore (Leskeae sericeae eiusque nitore), theca duplo maiore, dentibus peristomii robustioribus et longioribus, partium denique omnium ratione a Leskea caespitosa diversa.

Explicatio Tab. VI.

1. Muscus magnitud. naturali. caetera aucta: 2. pars ramuli fructiferi. 3. et 4. folia. 5. folii apex magis auct. 6. 7. 8. folii sectiones transversae. 9. theca cum operculo. 10. Peristomii pars magis aucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

7. Leskea Beyrichii.

Caule procumbente ramoso, ramis adscendentibus divisis iulaceis attenuatis parúm curvatis; foliis cordato-ovatis acuminatis integerrimis, nervo ultra medium evanescente bistriatis, madore strictis, siccitate adpressis; seta glabra; theca erecta oblongo-cylindrica; operculo parum obliquo conico acuto; peristomii exteritoris dentibus interiores perforatos vix superantibus.

Hab. ad arbores in montibus Virginiae ubi legit Beyrichius.

Adnot. Intense flavescens, sericeo-nitens; rami inaequales, simplices, vel ramosi seminuciam ad unciam longi, iulacei, attenuati, interdum curvati; folia cordato-ovata, acuminata, integerrima, nervo supra medium evanescente bistriata, madore erecta, siccitate adpressa, perichaetialia lanceolato-setacea, estriata; seta semiunciam ad unciam longa, glabra, stricta, rufescens; theca parum obliqua, erecta, oblongo-cylindrica, sesquilineam longa, operculo conico parum obliquo quadruplo breviore.

Locus system. Inter Leskeam sericeam et acuminatam Hedw. Priori proxima, sed minor et gracilior est, forma quoque foliorum, seta glabra, thecae et peristomii indole satis differt. Ab. L. acuminata Hedw. discrepat: ramis gracilioribus attenuatis elongatis, foliorum forma et nervo longiore, nec non peristomii dentibus interioris perforatis: Denique a Leskea setosa Hedw. ex icone tab. LVII. iam ramificatione satis aliena.

Explicatio Tab. VII.

1. Muscus magnitudine naturali, caetera aucta: 2. ramuli fructiferi pars. 5 et 7. folia caulina. 6. folium ex apice ramorum. 4. theca deoperculata. 5. peristomii pars peraucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

8. Hypnum Meyenianum.

Caule stolonifero-radicante elongato parce squamoso pubescente ramis brevibus sub-distichis regulariter bipinnatis penniformibus; foliis minutis incurvato-imbricatis, ovatis obtusis integerrimis, conforme papillosis opacis, nervo crasso supra medium evanescencte carinatis; seta apice incrassata incurva thecaque deoperculata constricta papilloso-scaberrimis.

Hab. In Ins. Manila, vegetabilibus putridis adnatum legit mihique pro Hypno delicatulo donavit Meyen, peregrinator celeberrimus.

Adnot. Caulis stolonifero-elongatus, procumbens squamis foliaceis parce et remote tectus, iunior velutino-pubescens, adultus albo-pulverulentus; rami laete virides pinnatim-dispositi, breves, eleganter bipinnati, penniformes, subfastigiati, ramulis distichis patentibus linearibus compositi; folia minuta concava, apice incurvato-imbricata, ex cordato ovata, obtusa, papillis prominentibus scabra, sed integerrima, opaca, fabrica tota conformia, nervo crasso carinato supra medium evanescente instructa; seta uncialis e caule subnudo, foliis paucis lanceolato-subulatis pellucidis basi circumdata egrediens, tota usque ad medium thecae constrictae dense papillosa, scabra; peristomium interius punctatum, ciliis binis interiectis. Operculum et calyptra desunt.

Locus system. Pulcherrima species inter Hypna papillosa, H. delicatulo minime affinis, sed cum H. grato P. d. B. Schwaegrichen t. 228. comparanda. Differt nostra: Caule subaphyllo, nempe squamis foliaceis remotis obsito, velutino-pubescente, aetate pulverulento; ramis pennae modo plumosis, bipinnatis, foliis obtusioribus nervo breviore telo quoque diverso constructis, perichaetialibus paucis ab reliquis alienis; seta tota papilloso-scabra et theca ex parte; deinde peristomio interno punctato ciliis binis interiectis etc.

Explicatio Tab. VIII.

a. Muscus magnitudine natural.; caetera aucta sunt: b. caulis fructiferi pars. c. seta. d. theca. h. folia perichaetialia. f. pars rami pubescentis. g. situatio foliorum. i. folium perauctum. k. sectio tranversalis eiusdem. e. Peristomium.

5

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

9. Hypnum subulatum.

Caule stolonifero radicante subnudo, ramis adscendentibus simplicibus vel divisis parum curvatis, foliis undique dissitis erecto-patentibus convolutis lanceolato-subulatis enervibus, apice denticulatis; seta glabra; theca adscendente; operculo conico longissime subulato thecam superante; peristomii interioris ciliis brevibus solitariis interiectis.

Hab. In Ins. Manila, ubi clar. Meyen legit et communicavit; terrestre videtur.

Adnot. Minus, lutescens, per siccitatem nitens; caulis subnudus flagellifero-prorepens, rami adscendentes simplices, vel divisi, parum curvati foliosi, folia fragilia, undique dissita, siccitate erecta, madefacta magis patentia, convoluta lanceolato-subulata, apicem versus sub lente acute denticulata, enervia, cellulis linearibus constructa, ad basin vero cellulis maioribus intense coloratis eleganter notata; seta vix ramorum longitudine, flexuosa, tortilis, fusca; theca concolor parvula, subcylindrica, deoperculata constricta, semper erecta; operculum e conico longe subulatum, thecam superans, cilia peristomii interioris solitaria, brevia inaequalia; calyptra straminea normalis.

Locus system. Inter Hypna muralia; Hypni tenelli Dicks. varietati tenuiori ex habitu et colore simile, foliis vero enervibus differt. Ab affinibus aliis speciebus. ex gr.: Hypno demisso Wilson, Schimperi Bruch., loxense Kunth, pallidiseto Brid., crassiusculo Schwaeg. et tenero Sw.; denique a H. Beyrichii Hornsch., papilloso eius et H. microcarpo eiusdem (ob Hyp. microcarpum Hooker Icon. Vol. I. tab. XXIII. Hypnum Hornschuchii nominando) discrepat: foliis convoluto-subulatis apice denticulatis patentibus fragilibus et theca adscendente, nisi toto habitu graciliore.

Explicatio Tab. IX.

1. Muscus magnit. natur. caetera aucta: 2. caulis fructeriferi pars c. ramulus. 3. 4. folia a latere et vertice visa. 5. folium perichactiale. 6. folii convoluti pars. 7. theca deoperculata. 8. calyptra iun. 9. pars peristomii peraucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

10. Hypnum verrucosum.

Caule procumbente gracili irregulariter pinnatim ramoso, ramis simplicibus adscendentibus apice aduncis; foliis concavis, ex cordato ovato-lanceolatis longe acuminatis integerrimis enervibus secundis vel falcato-tortilibus; theca breviseta nutante suburceolata operculoque obtuse conico vesiculoso-verrucosis; peristomii interioris ciliis solitariis.

Hab. In Ins. Iava unde Hypno graciliseto et H. ochro commixtum amicissimus Dr. Gottsche mecum communicavit.

Adnot. Lutescens, sericeo-nitens, parvulum. Caulis gracilis, sesqui-ad biuncialis, procumbens, sub-pinnatim ramosus; rami breves, simplices, 2—3 lineas longi, apice adunci, curvati, foliis concavis, caulinis cordato, rameis ovato, lanceolatis, longe acuminatis, integerrimis, secundis, vel falcato-tortilibus; seta semiuncialis, glabra, rufescens; theca concolore, minima, suburceolata, pendula, operculoque vesiculoso-verrucosa; calyptra glabra, pallida, normalis.

Locus system. Inter Hypna adunca Hypno ochro Schwaeg. tab. 285. et Hypno urceolato Hornsch. flor. Brasil. tab. IV. proximum, differt: minutie omnium partium simulque ab aliis affinibus theca papilloso-verrucosa.

Explicatio Tab. X.

1. Muscus magnitud. natural.; caetera aucta: 2. caulis pars fructifera. c. ramus. 3. 4. folia. 5. sectio transversalis cavitatem folii monstrans. 6. folii apex maxime auctus. 7. Peristomium.

ICONES MUSCORUM

NOVORUM VEL MINUS COGNITORUM

AUCTORE

ERNESTO HAMPE.

BLANKENBURGENSE.



DECAS SECUNDA.

11. Hypnum brachycarpum.
12. — Gueinzii.
13. Fabronia Hampeana.
14. Regmatodon parvulus.
15. Leucodon brachypus.
16. Leucodon curvirostris.
17. — Cryptotheca.
18. — gracilis.
19. Harrisonia squarrulosa.
20. Macromitrium cuspidatum.

BONNAE,

SUMPTIBUS HENRY & COHEN.

1844.

DECAS TABULARUM SECUNDA

QUAM

VIRO PRAECLARISSIMO

CAMILLE MONTAGNE

DE PLANTIS CRYPTOGAMIS MERITISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

11. Hypnum brachycarpum.

Dense caespitosum, ramis adscendentibus brevibus apice uncinatis; foliis concavis homomallis apice parce falcatis ovato-lanceolatis acuminatis integerrimis enervibus; seta breviuscula glabra; theca adscendente brevi oblique ovata; operculo oblique rostrato; peristomii interioris ciliis solitariis.

Habitat in promontorio bonae spei, ligno putrido adnatum, a clarissimo Kunze. Profess. Lips. communicatum.

Adnot. Lutescens, sericeum; rami breves vix semiunciales dense conferti, adscendentes, apice uncinati; folia dense imbricata, homomalla, apice falcata; seta brevis, glabra, vix ramum aequans, fusca; theca concolor, deoperculata perbrevis longitudine diametrum transversum vix aequante, oblique ovata, adscendens; dentes peristomii interioris ciliis solitariis interpositis erecti, dentes externi siccitate incurvati Helicodontii more; calyptra normalis.

Locus system. Inter Hypna adunca rostratae sectionis, Hypnis muralibus adnexae, Hypno leptochaeto et leptorrhyncho Schwaegr. quodammodo affine, sed sine dubio Hypno orthothecio Schwaegr. (ex icone non perfecta tab. 220) proprius accedens, tamen partium omnium indole differt.

Explicatio Tab. XI.

1. Muscus magnitudine naturali; caetera aucta: 2. pars caulis fructiferi. c. ramus. 3. 4. 5. 6. folia vario modo collocata. 7. basis folii admodum aucta. 8. theca deoperculata. 9. peristomii pars valde aucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Hypneae.

12. Hypnum Gueinzii.

Dense caespitosum, ramis subsimplicibus subadscendentibus apice aduncis; foliis dense imbricatis secundo-falcatis concavis, elongato-oblongo-lanceolatis apice denticulatis; seta glabra brevi vix emergente; theca adscendente oblique ovata cylindrica brevi, deoperculata propter curvationem setae nutante; operculo rostrato, peristomii interioris dentibus ciliis solitariis interiectis siccitate erectis dentes externos incurvos superantibus.

Hab. Ad Caput bonae spei legit D. Gueinzius, ligno putrido adnatum, a clarissimo Kunze communicatum.

Variat foliis longioribus subtortilibus et caule prostrato ramosiore, si aquis superfusum crescit.

Adnot. Lutescens, sericeum; statu normali rami breves, parce ramosi, subadscendentes vel prostrati, apice adunci, folia dense imbricata, subhomomalla, falcata; seta brevis, gracilis, lutescens, aetate fuscescens, laevis, tortilis; theca vix emergens, fuscescens, adscendens, oblique ovato-cylindrica, brevis, operculum rostratum, theca paullo brevius, dentes peristomii exterioris albicantes siccitate incurvi, interni erecti ciliis solitariis interiectis; calyptra normalis.

Locus system. Hypno brachycarpo nostro proximum, differt tamen: foliis longioribus magis acuminatis apice denticulatis vere falcatis, structura cellularum ad foliorum basin, theca magis oblonga, peristomio albicante ceterum conformi. Ab Hypno recurvante Schwaegr.: ramis longioribus dense foliosis, apice aduncis, foliis longioribus minus serratis, theca adscendente operculoque longiore, peristomii quoque indole et tota fabrica recedit.

Explicatio Tab. XII.

1. Muscus magnit. natur. caetera aucta: 2. Caulis fructiferi pars. c. ramus. 3. Theca deoperculata madefacta. 4. Peristomii pars valde aucta. 5. Peristomium statu sicco. 6. 7. folia. 8. fol. magis auctum.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Fabronieae.

13. Fabronia Hampeana Sonder in litt.

Caule adscendente ramoso, ramis dense foliosis subclavatis; foliis subhomomallis lanceolatis longe cuspidatis longissime ciliatis nervosis; theca brevi-ovata laevi; operculo umbonato conico obtusissimo.

Habitat in truncis Macrozamiae Preissii Lehm. prope oppid. Perth Novae Hollandiae, ubi a Dr. L. Preiss d. 29 Jun. 1840 lecta, mecum communicata est.

Adnot. Dense pulvinata, lanata, strato byssaceo tomentoso primordiali? insidens; rami pallide flavescentes, dense foliosi, subclavati, subfastigiati, 3—4 lineas longi, sericeo-nitentes; seta eos fere duplo longitudine superans; theca brevi-ovata, deoperculata ampla vel hians, laevis exapophysata; folia caulis latiora, ramorum angustiora, lanceolata, longe cuspidata, longissime ciliata, ciliis nempe folii latitudinem superantibus, perichaetialia ovata acuminata dentato-ciliata, omnia exceptis iis qnae statu adhuc iuniore versantur nervosa, nervo supra medium evanescente; calyptra cucullata normalis.

Locus systemat. Fabroniae macroblepharidi Schwaegr. proxima, differt vero: foliis angustioribus nervosis longissime ciliatis; theca exapophysata et operculo obtusissimo umbonato-conico, peristomii denique indole. Ab reliquis iam ciliis longissimis satis distat.

Explicatio Tab. XIII.

1. Muscus magnitudine naturali; caetera aucta: 2. ramulus fructifer. c. theca deoperculata. 3. 4. folia caulina. 5. 6. folia ramorum infantilia enervia. 7. folium caul. magis auctum. 8. 9. 10. folia perichaetialia. 11. eorum apex magis auctus. 12. thecae pars cum operculo. 13. pars peristomii laesi maxime aucta.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Leucodonteae.

14. Regmatodon parvulus.

Caule repente, ramis filiformibus adscendentibus curvatis vel decumbentibus; foliis imbricatis erectis, vel parum homomallis, ovato-lanceolatis acuminatis sub-seminervibus integerrimis papillosis; theca erecta ovato-oblonga; operculo conico-rostrato; dentibus peristomii albicantibus medio fissis annulo maximo ad medium obtectis.

Synon. Leskea parvula Hmp. in Linnaea (Relation über die Beyrichschen Moose) annulum pro dentibus externis destructis sumptum.

Habit. Ad arbores Americae septentrionalis, prope Eleenezar ad flum. Savannah, societate Cryphaeae filiformis, thecis fere omnibus vetustis legit C. Beyrich.

Adnot. Muscus parvulus repens, Leskeae subtili aliquantulum similis. Rami breves adscendentes curvati, vel filescentes et decumbentes, formam abbreviatam et colorem Leptohymenii filiformis aemulantes. Ob praesentiam annuli in Leucodontearum tribu memorabilis muscus; dentes peristomii albicantes, fragiles sunt, medio fissi.

Locus system. Cum Regmatodonte declinato Brid. (a me haud viso) ob dentes basi foratos genus proprium medium inter Pterogonium et Leucodontem constituit.

Explicatio Tab. XIV.

Muscus magnitudine naturali cortici adhaerens. caetera aucta: 2. pars caulis fructiferi cum ramificatione. 3. peristomii pars ob fragilitatem dentium non melius sed ad veram naturam delineata cum annuli parte, omnia admodum aucta. 4. 5. folia minus aucta. 6. inflorescentia. 7. folium maxime auctum. 8. Calyptra.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Leucodonteae.

15. Leucodon brachypus Brid.

Caule repente radiciforme, ramis subsimplicibus erectis siccitate parum curvatis; foliis dense imbricatis appressis interdum secundis concavis late-ovato-lanceolatis oblique-acuminatis, vix apice dentatis triplicatis enervibus, perichaetialibus thecam ovatam brevisetam aequantibus, dentibus peristomii remotis angustis lanceolatis indivisis demum recurvis.

Hab. Ad arbores Americae septentrionalis specimina mea ab C. Beyrichio lecta, sed deoperculata.

Adnot. Species propria a L. sciuroide habitu minore, theca breviseta et peristomio satis diversa. A. sequente Leucodonte curviostri etiam differt: Colore obscuriore, statura minore, foliis arcte imbricatis brevioribus oblique - acuminatis tristriatis, theca minore seta vix duplo longiore e foliis perichaetialibus vix-emergente et peristomii dentibus remotis angustis.

Explicatio Tab. XV.

1. Muscus magnitudine naturali; caetera aucta: 2. pars ramuli fructiferi. 3. 4. folia. 5. folii apex magis auctus 6. sectio transvers. folii triplicati. 7. 8. Peristomium. 9. idem maxime auctum. 10. calyptra iunior perichaetio adhuc recondita.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Leucodonteae.

16. Leucodon curvirostris.

Caule repente radiciformi ramoso, ramis adscendentibus elongatis divisis interdum curvatis; foliis secundis ovato-oblongo-lanceolatis acuminatis concavis utraque basi inflexis apice denticulato-serrulatis plicis quaternis notatis; seta brevi usque ad medium perichaetio arcte involuta; theca emersa subrotundo-ovata microstoma; operculo conico-curvirostri, dentibus peristomii rectis liberis singulis lanceolatis indivisis.

Hab. E Mexico relatus et mecum communicatus, nec loco natali, nec inventore indicatis.

Adnot. Species certe distincta ob formam thecae, operculum curvirostre et peristomium a caeteris speciebus mihi cognitis satis diversa.

Explicatio Tab. XVI.

1. Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta: 2. ramuli fructiferi pars. 3. folium. 4. eiusdem apex maxime auct. 5. Peristomium.

7

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Leucodonteae.

17. Leucodon Cryptotheca.

Caule crasso diviso ramoso adscendente e latere flagellifero radicante, ramis curvatis; foliis dense imbricatis concavis basi inflexis obliquis ovato-oblongo-lanceolatis acuminatis quinquies plicatis enervibus apice usque ad medium fere tenuissime denticulatis; theca ovata subsessili perichaetio prominente involuto occulta; operculo breviter rostrato, dentibus peristomii brevibus lanceolatis obtusis discretis singulis hinc inde fissis.

Patria. E regno Mexicano allatum, inter alios muscos in arboribus viventes, clarissimus ab Schlechtendal humanissime communicavit.

Adnot. Species memorabilis, ab praecedentibus caule aliquantum crassiore, ramificatione magis irregulari, flagellis e ventre emissis radicante; theca occulta, in perichaetio insigni recondita ab omnibus mire recedit, foliorum plicae iam nudis oculis conspiciendae, eaque superne more specierum fere omnium aliquantulum secunda apparent. Dentes peristomii breves tamen quoad structuram specierum praecedentium dentibus analogi sunt.

Explicatio Tab. XVII.

1. Muscus magnitudine natur. caetera aucta: 2. ramuli fructiferi pars. 3. operculum cum calyptra. 4. theca. 5. peristomium et 6. folium magis auct.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Leucodonteae.

18. Leucodon gracilis.

Pendula? ramis e centro progredientibus gracillimis elongatis curvatis foliosis inferne nudis, foliis subsecundis ovato-lanceolatis acuminatis concavis utraque basi reflexis bi-aut triplicatis enervibus ab apice ultra medium denticulato-serratis; theca parva ovata seta quadruplo breviore; dentibus peristomii simplicibus.

Hab. Huius musci in Andibus Chili australis lecti clarissimus Pöppig sub No. 34. pauca specimina communicavit.

Adnot. Peristomii indole Pterogonii speciem credas, sed toto habitu et ramificatione Leucodontibus adnumerandum esse certus sum, etiam structura dentium convenit; sed sutura deficiente a praecedentibus distat; operculum et calyptra desunt.

Explicatio Tab. XVIII.

1. Muscus magnitud. natur. caetera aucta; 2. pars rami fructiferi. 3. et 4. folia. 5. eorum apex magis auct. 6. peristomium. 7. eius dens magis auctus.

Musci pleurocarpi.

Fam. Leskeaceae. Trib. Neckeroae.

19. Harrisonia squarrulosa.

Ramosissima adscendens, ramis patentibus lateralibus attenuatis radicantibus superioribus incrassatis; foliis concavis dense imbricatis, humefactis squarroso-patentibus, siccitate apice recurvis cordato-oblongis oblique acuminatis, iunioribus subpiliferis, quinquies plicatis integerrimis enervibus; theca breviseta laevi subrotunda; operculo brevi curvirostri.

Patria. Inter muscos Mexicanos clarissimus ab Schlechtendahl liberaliter communicavit.

Adnot. Caulis 2—4 pollicaris ramosissimus, rami laterales attenuati radiculosi, superiores parum incrassati subsecundi; folia siccitate imbricata, humefacta squarroso-patentia, ramorum superiorum semper squarrulosa, semiamplexicaulia, oblongo-cordata, oblique acuminata, iunioria subpilifera, enervia, quinquies plicata integerrima. Seta in ramulo brevi infra apicem lateralis, erecta, 2—3 lineas longa; theca subrotunda, parum obliqua, laevis; operculum planum cum rostro brevi obtuso obliquo; semina maxima; calyptra deest.

Locus system. Habitu et colore Harrisoniam secundam Spreng. aemulans, sed maior, foliis squarrulosis thecaque subrotunda aliena, quibus notis etiam ab Harrisonia Schimperiana (Hedwigia *) Bruch et Schimper) distat. Harrisoniae Humboldtii Spreng. nil nisi thecae forma accedit.

---

*) Hedwigia Swartzii, planta vasculosa, Hedwigiae Ehrharti prostat. Anoectangium Hedwigii Fontinaleis gymnostomis reservandum.

Explicatio Tab. XIX.

1. Muscus magnit. natur. caetera aucta: 2. pars ramuli fructifer. 3. folia caulina. 4. folia ramulorum subpilifera. 5. folii acumen valde auct. 6. sectio transversalis foliorum quinquies plicatorum.

Musci acrocarpi.

Fam. Orthotrichaceae.

20. Macromitrium cuspidatum.

Caule repente subtomentoso, ramis simplicibus vel parum divisis erectis dissitis; foliis obliquis carinato-plicatis lanceolatis apice inaequalibus nervo excurrente longe cuspidatis patentibus siccitate flexuosis; theca oblongo-ovata laevi rostrata; calyptra apice parce pilosa.

Patria. In Insula Iava legit diligentissimus Dr. Iunghuhn; ab amicissimo Dr. Gottsche communicatum.

Adnot. Caulis aphyllus repens elongatus, rami dissiti, inaequales 3—12 lineas longi, interdum divisi, in parte inferiore parum nudi, apice subcomosi, dense foliosi; folia erecto-patentia obliqua, lanceolata, apice inaequalia, oblique plicata, nervo excurrente partem quintam folii longitudine cuspidata, integerrima, theca breviseta (seta 2—3 lineas longa glabra) oblongo-ovata, laevis, deoperculata hians; operculum conico-subulatum, rectum; peristomium in exempl. meis laesum normale videtur; calyptra apice parce pilosa.

Locus systemat. Primo intuitu Macromitrio pilifero simile, ac vel affine, differt tamen: foliis apice inaequalibus nervo longe cuspidatis; theca laevi peristomio instructo. Ab aliis speciebus foliis obliquis apice inaequalibus longe cuspidatis procul recedit.

Explicatio Tab. XX.

1. Muscus magnit. natur. caetera aucta: 2. pars ramuli fructiferi c. calyptra. 3. theca deoperculata cum dentibus fractis. 3. eius pars summopere aucta cum rudimentis dentium. 4. theca cum operculo. 6. folium. 7. Sectio transversa folii plicati magis aucta. 8. eiusdem pars tenuissima admodum aucta.

ICONES MUSCORUM

NOVORUM VEL MINUS COGNITORUM

AUCTORE

ERNESTO HAMPE

BLANKENBURGENSE.



DECAS TERTIA.

21. Polytrichum capense.
22. Catharinea iavanica.
23. A. Thysanomitrium stenocarpum.
— B. — scabrisetum.
24. Dicranum assimile.
25. Bryum Preissianum.
26. Bryum australe.
27. Mielichhoferia pellucida.
28. Trichostomum cirrhatum.
29. — calcicola.
30. Physcomitrium Thieleanum.

BONNAE,

SUMPTIBUS HENRY & COHEN.

1844.

DECAS TABULARUM TERTIA

QUAM

VIRO PRAECLARISSIMO

C. G. NEES AB ESENBECK

IN RE HERBARIA ERUDITISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Musci acrocarpi.

Fam. Polytrichaceae.

21. Polytrichum capense.

Caule brevissimo paucifolio simplici, foliis e basi diaphana vaginante latiore ovato-lanceolatis acutiusculis, siccitate convolutis incurvis, in parte superiore nervo lamellato latissimo obductis, margine extremo diaphano remote inciso-dentatis; seta mediocri; theca ovato-cylindrica laevi; operculo brevi conico incurvo; calyptra brevi; dentibus peristomii brevissimis lanceolatis obtusis immarginatis saepe per paria connatis.

Hab. Ad. Caput bonae spei legit D. Gueinzius; in herbario Dr. Prof. Kunze vidi.

Adnot. Caulis simplex, 2 lineas longus, cum seta vix uncialis, folia siccitate convoluta, madore difficilius explanata, carinata, nervo ad basin attenuato, apice remote inciso-dentata; calyptra villosissima, aurantiaca, brevis, vix longitudinem thecae aequans, apice incurva; dentes peristomii 32, perbreves, immarginati (sine margine diaphano), lanceolati, obtusi, saepe per paria confluentes.

Locus system. Inter Polytrichum nanum et aloides. A priori, cui maxime affine, differt foliis brevioribus ad basin magis diaphanis nervoque tenuiore attenuato, theca ovato-cylindrica, deoperculata utrinque subattenuata texturae firmioris cellulis duplo maioribus hexagonis dentibusque peristomii latioribus brevioribus et solidioribus saepe binis confluentibus.

A P. aloide foliis apice remote inciso-dentatis, theca evacuata opaca (nec diaphana et papillifera) operculo breviore oblique conico obtuso, peristomii dentibus tertia parte brevioribus, mitra dimidio breviore differt; tandem a. P. brachyphyllo Mx. Schwaegr. t. 156 foliis margine diaphanis inciso-dentatis, nec integerrimis, peristomio quoque et singulari sua fabrica.

Explicatio Tab. XXI.

1. 2. 3. Specimina tria magnitudine naturali. Caetera aucta sunt: 4. muscus deoperculatus. 5. folium siccum. 6. folium madefactum magis explanatum. 7. apex eius et 8. basis eiusdem valde auct. 9. et 10. opercula. 11. calyptra. 12. peristomium maxime auctum c. cellulis thecae hexagonis.

Musci acrocarpi.

Fam. Polytrichaceae.

22. Catharinea iavanica.

Humilis, caule simplici; foliis canaliculatis inflexis ovato-lanceolatis obtusiusculis, nervo in apice folii partem fere replente oblongo dilatato; theca rotundato-ovata; operculo conico mammillato; calyptra glabra dentibus peristomii 32; lanceolatis angustis ad basin fere liberis.

Habitat in cacumine montis Sindoro insulae Iavae, unde mense Aprili a Dr. Junghuhn lectam, clarissimus a Schlechtendahl communicavit.

Adnot. Tota uncia vix longior, ex habitu exemplis parvis Cathariueam hercynicam aemulans. Caulis 2—3 lineas longus; folia carinata, incurva; seta caulem sesqui-vel duplo superans; theca erecta, ovata, rotunda, deoperculata aequalis, nec ad apicem constricta, dentes peristomii lanceolati, fere liberi, media costa notati.

Locus system. In propinquo Catharineae tenuirostris (Polytrichum Hook), collocanda, a qua differt: statura dimidio breviore, nervo folii oblongo dilatato, theca exapophysata, deoperculata apice hiante, operculo conico mammillato, peristomio, structura denique cellularum.

Explicatio Tab. XXII.

a. b. c. Specimina magnitudine naturali. Caetera aucta sunt. d. calyptra. e. folium a vertice. g. folium a latere visum. f. theca. h. peristomium.

Fam. Weisiaceae.

23. A. Thysanomitrium stenocarpum.

Caule erecto diviso-ramoso gracili; foliis inferioribus patentibus subsecundis, superioribus comoso-falcatis lanceolato-linearibus canaliculatis, apice argute serratis, nervo basi quartam partem folii occupante apice vix emergente acuto concolore; setis brevibus aggregatis vel solitariis constanter adscendentibus glabris; theca basi subaequali subcylindrica erecta, siccitate striata; operculo subulato; calyptra fimbriata.

Hab. In Brasilia (Montevideo) legit Sellow cum sequente commixtum. In collectione regia Berolinensi vidi.

Adnot. Sequenti proximum, differt tamen caule graciliore non tomentoso, foliis brevioribus, seta glabra, theca subaequali erecta.

Explicatio Tab. XXIII. A.

1. Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta. 2. folium. 3. apex folii valde auct. 4. theca c. operculo, statu humido seta incurvante, sed theca semper adscendens. 5. theca deoperculata humefacta. 6. Peristomii et annuli pars. 7. theca sicca c. calyptra.

23. B. Thysanomitrium scabrisetum.

Caule adscendente diviso-ramoso tomentoso-radiculoso; foliis erecto-patentibus secundis, superioribus falcatis, flexuosis canaliculatis lanceolato-subulatis, ad basin nervo tertiam partem folii occupante apice excurrente concolore, argute denticulato-serratis; setis brevibus aggregatis vel solitariis, constanter erectis, apice papilloso-scabris; theca e basi inaequali cylindrica incurvata sulcata; operculo conico rostrato; calyptra fimbriata.

Hab. Cum priore a Sellow lectam in collectione regia Berolinense vidi.

Adnot. A priore quomodo differat, supra explicatum. Thysanomitrio concolori (Campylopo Brid.) affine, differt vero praecipue seta erecta, nunquam curvata, et ad basin thecae scabrida, operculoque longiore.

Explicatio Tab. XXIII. B.

1. Muscus magnitud. natur. Aucta sunt: 2. folium. 3. theca c. operculo et vagina c. foliis perichaetialibus. 4. calyptra.

Excursio.

Thysanomitria sensu nostro inter Weisiaceas cohortem efficiunt, cuius species singulae toto habitu inter se consimiles, calyptra maiore semi-campanulata basi fimbriata ab Dicranis facile dignoscuntur. Nomen Campylopus non aptum, quia seta curvata e. gr. in praecedentibus speciebus non reperitur et quamquam setae madore torquescunt tamen minime incurvatae sunt. Ob calyptram fimbriatam Thysanomitrium Schwaegr. affirmandum:

Char. gen.

Peristomium simplex 16-dentatum, dentibus vel integris vel bifidis, aut usqne ad basin partitis. Calyptra cylindrico-campanulata demum latere fissa, basi fimbriata.

Flores dioici, masculi in capitulis aggregati; stylus longissimus.

Setae plerumque confertae et arcuatae torquescentes. Folia serrata saepe pilifera, vel nervo excedente concolore apiculata, perdurante versus basin explanato, latissimo.

Musci acrocarpi.

Fam. Weisiaceae.

24. Dicranum assimile.

Caule elongato adscendente erecto diviso-ramoso inferne tomentoso; foliis secundis, superioribus maxime falcatis, ovato-lanceolatis acuminatis apice inciso-serratis, nervo basi tenui superne accrescente ad apicem aculeato; setis solitariis vel aggregatis (1—4) in perichaetio prominente basi involutis apice strumulosis; theca cylindrica adscendente-incurva; operculo conico-subulato theca paulo breviore.

Hab. In Insula Iava legit D. Junghuhn; ab amicissimo Gottsche accepi.

Adnot. Flavo-viride, parum rufescens et nitens. Caulis 2—4 uncias longus, basi remote foliatus tomentosus, superne densius foliatus, diviso-ramosus; folia inferiora pallidiora, fragilia, dissita, parum crispula, superiora secunda, suprema maxime falcata, longissima; seta unciam circiter longa, ad tertiam partem foliis perichaetialibus prominentibus involuta, flavido-rufescens, nitens, apice strumulosa; theca brunnea, aetate fuscescens, cylindrica, adscendens, apice parum incurva, deoperculata sub ore attenuata. Operculum exacte conico-subulatum, theca paulo brevius. Calyptra cucullata normalis.

Locus system. Cum Dicrano maiore Turn. ex habitu maxime convenit. Differt ab eo: Colore pallidiore magis flavescente, foliorum nervo tenuiore ad basin subevanescente, cellulis quoque ad basin maioribus, theca magis erecta, cylindrica, operculo conico subulato theca vix breviore dentibusque peristomii gracilioribus. Cum D. Billardieri et D. Boryano Schwägr. minime confundendum, insuper perichaetio prominente ab aliis differt.

Explicatio Tab. XXIV.

Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta. 2. folium caulinum. 3. folium perichaetii. 4. theca. 5. thecae deoperculatae pars. 6. peristomii pars magis aucta.

Musci acrocarpi.

Fam. Bryaceae.

25. Bryum Preissianum.

Caule fertili brevissimo inferne prolifero, ramis simplicibus elongatis gracilibus subfastigiatis, inferne sparse, superne dense foliosis, subclavatis; foliis ovato-lanceolatis integerrimis inmarginatis nervo crasso cuspidatis; theca erecta oblongo-cylindrica; operculo conico breviter subulato.

Hab. In rupibus ad saxa calcarea Novae Hollandiae (prope Freemantle) celeberrimus peregrinator Dr. Preiss legit.

Adnot. Muscus flavo-rufescens, vix unciam longus; caulis brevissimus, basi prolifer, prolificationes plus minusve elongatae (1—4 lin.) graciles, basi sparse, superne dense foliosae, clavaeformes, subfastigiatae; folia margine nullo instructa, ovato-lanceolata, cellulis elongato-hexagonis, sub lente pellucida, nervo crasso basin versus accrescente cuspidata; seta basilaris (vulgo dicta), ad unciam longa, erecta; theca concolor adscendens erecta; oblongo-cylindrica, annulata, operculo conico breviter subulato recto quater breviore; dentes peristomii exterioris lanceolato-subulati longissimi, interioris angusti quater breviores paulisper carinati (ex membrana profunde partita prodeuntes), ciliis brevioribus angustis interiectis; calyptra angusta, fuscescens, apiculata; inflorescentia monoica, apicalis.

Locus system. Habitu Ceratodontis purpurei Br. formae minori flavescenti persimile, nihilominus inter Bryum megalacrion Schwaegr. et Bryum nepalense Spreng. cum Bryo dicranoide Hornsch. collocandum. Ab ulteriore proximo differt nostrum: foliis nervo crasso cuspidatis et ob cellulas maiores magis pellucidis, operculo conico breviter rostrato thecaque magis adscendente, deinde dentibus longioribus atque operculo longiore.

Explicatio Tab. XXV.

1. Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta: 2. specimen completum: ramulus fructifer c. prolificationibus. 3. folia diversae situationis. 4. sectio transversalis folii. 5. apex folii maxime auct. 6. peristomium cum annuli parte. 7. peristomii pars maxime aucta.

Excursio.

Ob peristomii indolem species nostra Brachymeniis adnectenda videatur. Membrana profunde divisa, vix plicata, quoniam dentes et ciliae angustiores sunt. Peristomium imperfectum minime nominandum, ergo pro Brachymenio pronuntiare nequeo. Fabrica peristomii specierum mire variat, quam natura limitem characteris generici inter Bryaceas lenissime tantum significat. Praeterea Bryum Preissianum ex habitu Orthodontiis proximum, a quibus peristomio interno tamen discrepat.

Musci acrocarpi.

Fam. Bryaceae.

26. Bryum australe.

Dense caespitosum, caule erecto tomentoso superne diviso-ramoso; foliis caulinis undique imbricatis ovato-lanceolatis, superioribus ramorum comoso-confertis lanceolatis strictis, omnibus nervo crasso excurrente cuspidatis quasi pungentibus integerrimis immarginatis; seta elongata gracili; theca anguste ovato-cylindrica adscendente horizontali; operculo conico mamillato obtuso.

Hab. In Nova Hollandia, ad flumen Cygnorum Dr. L. Preiss legit.

Adnot. Statura Bryi pallescentis var. borealis formae maioris; caulis uncialis rufescens, inferne tomentosus, ramis proliferis apice comosis pallidioribus insignis; seta gracilis, e rufo-flavescens, nitens, sesqui-ad uncias duas longa, flexuosa; theca anguste ovato-cylindrica, adscendens horizontalis; operculum umbonato-conicum, breviter apiculatum. Inflorescentia dioica? (flores masculi in speciminibus nostris desunt).

Locus system. Inter Bryum pallescens Schwaegr. et Bryum caespititium L. Ab ulteriore proximo differt: foliis angustioribus immarginatis integerrimis nervo duplo crassiore cuspidatis cellulisque minoribus, insuper seta gracili elongata, thecaque adscendente horizontali.

Explicatio Tab. XXVI.

1. Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta: 2. Specimen solitarium c. seta et theca No. 9. 3. 4. 5. folia diversae situationis. 6. folium a latere visum. 7. 8. eadem transsecta. 10. theca deoperculata. 11. peristomii pars magis aucta.

Musci acrocarpi.

Fam. Bryaceae.

27. Mielichhoferia pellucida.

Nitida, caule fructifero brevissimo inferne prolifero, prolificationibus gracilibus interrupte clavatis elongatis subfastigiatis; foliis concavis subappresso-imbricatis ovato-lanceolatis integerrimis teneris pellucidis, nervo tenui flaccido cuspidatis; theca adscendente erecta oblongo-ovata apice contracta, deoperculata breviter clavata; operculo umbonato-conico parvo; dentibus peristomii late-lanceolatis approximatis integerrimis.

Habitat in Promontorio bonae spei, ab Dno. Pappe lectam, clarissimus Kunze humaniter communicavit.

Adnot. Tota semiuncialis, dense caespitosa, compacta, nitida, caulis fructifer brevissimus vix lineam longus, basi prolifero-ramosus, rami conferti, interrupte clavati, graciles, sub 3 lineas longi, dense foliosi; folia subappresse-imbricata, tenera, ob cellularum hyalinarum parietes angustas pellucida, concava, ovato-lanceolata, integerrima, nervo cellulis aggregatis viridibus constructo tenui flaccido cuspidata; seta vix semiuncialis ob caulem brevissimum vulgo basilaris dicitur; theca adscendente erecta oblongo ovata, vel breviter clavata apice contracta; operculum parvum umbonato-conicum vix apiculo mammillari; dentes peristomii basi approximati lato-lanceolati, attenuati integerrimi (nec septione prominente inaequaliter articulati). annulo ad tertiam partem basi circumdati; flores monoici, masculi in apice turionum, ob innovationes interruptas pseudo-axillares, tamen terminales sunt. Calyptra deest.

Locus system. Prope Mielichhoferam clavatam Br. et Sch. ex Abyssinia, cui consimilis est, sed differt: nitore, ramis gracilioribus, interrupte clavatis, foliis incoloratis teneris, parietibus cellularum angustissimis pellucidis; nervo flaccido inaequali hic illic perspicuo, et tandem dentibus peristomii la-

tioribus arcte approximatis. Notis indicatis quoque differt ab aliis ex gr. M. brevicauli et Ecklonii Hornsch., M. hymenostoma Br. Sch. — Ab Mielichhoferia campylocarpa (Weisia campylocarpa Hook et Arnott. Mielichhoferia basilari Br. et Sch., quod nomen minus aptum) longe distat.

Explicatio Tab. XXVII.

1. Muscus magnitudine naturali caetera aucta sunt. 2. caulis fructifer cum nonnullis prolificationibus. 3. et 4. folia. 5. et 6. eadem a latere visa. 7. folii apex maxime auct. 8. 9. 10. sectiones transversae folii. 11. et 12. thecae cum operculis. 13. thecae pars c. dentibus et annuli parte magis aucta.

E x c u r s i o.

Mielichhoferias inter Bryaceas toto ex habitu propterque indolem omnium partium apte collocandas aestimamus. Inflorescentia minime lateralis, sed cum aliis speciebus Bryorum, e. g. Br. Preissiano nisi eadem, tamen analoga est, qualem opinionem ex hoc exemplo probe defendere possimus.

Musci acrocarpi.

Fam. Pottiaceae. Trichostomeae Br. et Sch.

28. Trichostomum cirrhatum.

Caespitosum, caule basi radicante innovante erecto versus apicem accrescendo-folioso; foliis patentibus elongato-lanceolatis carinatis, siccitate convolutis incurvo-cirrhatis, nervo crasso continuo cuspidatis integerrimis; seta gracillima; theca oblongo-cylindrica erecta subaequali; operculo longe conico-subulato recto; dentibus peristomii longissimis fere usque ad basin partitis puberulis sparsim tuberculatis.

Hab. In Nova Hollandia ad flumen Cygnorum Barbulae calycinae Schwaegr. intermixtum legit Dr. Preiss.

Adnot. Caulis ad basin luridus, superne laete viridis 2—3 lineas longus, seta gracilis, concolor, dimidiam ad unam unciam fere longa, operculum subulatum, thecae dimidiam partem fere aequans, toto habitu et colore Barbulam cirrhatam aemulans.

Locus system. Trichostomo flavo-virenti et T. Barbulae Bruch proximum, a quibus differt: foliis angustioribus, elongato-lanceolatis nervo cuspidatis, totaque fabrica, cellulis laxioribus, ergo pellucidis; theca recta, operculo longissimo recto dentibusque peristomii primitus strictis longissimis ad basin per paria connexis.

Explicatio Tab. XXVIII.

1. Muscus magnitudine naturali; caetera aucta sunt. 2. caulis c. seta abrupta No. 7, specimen construunt. 3. et 4. folia. 5. apex folii a latere. 6. basis folii magis auct. 8. peristomii pars magis auct.

Musci acrocarpi.

Fam. Pottiaceae.

29. Trichostomum calcicola.

Minus, caespitosum, caule brevi recto subsimplici; foliis erecto-patentibus pellucidis, siccitate apice incurvis demum tortis, inferioribus ovato-lanceolatis, superioribus longioribus lineari-lanceolatis apice convolutis integerrimis obtusiusculis, nervo crasso continuo; vagina conspicua; theca anguste oblongo-cylindrica; operculo conico-subulato recto illa dimidio breviore; dentibus peristomii per paria arcte approximatis filiformibus longissimis fere ad basin partitis glaberrimis albidis inarticulatis.

Hab. In Novae Hollandiae (prope Freemantle) rupibus calcareis legit Dr. Preiss 14. Aug. 1839.

Locus system. Inter minores generis; ab affinibus speciebus Tr. curvifolio, convoluto, crispulo et flavo-virenti Br. differt: foliis angustioribus pellucidis, dum istorum opaca sunt. Quoad fabricam cum Tr. cirrhato praecedente convenit, sed duplo minus, colore rufo-fusco, foliorum forma et peristomii dentibus angustissimis glaberrimis distat.

Explicatio Tab. XXIX.

a. Muscus magnitudine naturali. Caetera aucta. b. specimen decies auct. c. theca cum operculo. d. et e. folia a latera visa. f. folium magis auctum explanatum. h. theca deoperculata. g. peristomii pars maxime auct.

Musci acrocarpi.

30. Physcomitrium Thieleanum.

Fam. Funariaceae.

Caule erecto subsimplici interdum innovante-diviso folioso; foliis maxime cellulosis oblongo-ovatos lanceolatis acutis, cellulis margine protuberantibus rude serratis, nervo crasso ante apicem evanescente; theca pyriformi deoperculata cupulari apophysata; operculo conico producto.

Syn. Gymnostomum sphaericum Thiele herb. Berolin.

Hab. In Brasilia (Montevideo) a Sellow lectum in herbario regio Berolinensi vidi.

Locus system. Cum Physcomitrio acuminato Bruch et Schimp. inter Ph. fasciculare Brid. et Physcom. Hookeri m*) (Gymnostomum latifolium Hook Schwaeg. tab. 304) collocandum. Specimina parva Physcom. fascicularis aemulans, sed operculo conico, theca deoperculata ampla sphaerica, foliorum forma caet. distat. A Physc. Hookeri, ob thecam operculumque simile, foliorum forma et serratura eorum differt. Tandem Physc. acuminatum B. et Sch. a nostro discrepat: foliis oblongo-lanceolatis apice attenuatis subintegerrimis, e cellulis angustioribus constructis, vel nervo percurrente operculoque breviore.

An Physc. Thieleanum cum Ph. Bonplandis Brid. (nobis incerto) conveniat autoptae discernant.

---

*) Nomen Physcomitrium latifolium iam a Bridelio notatum; vide Bryologia II. p. 815.

Explicatio Tab. XXX.


1. Specimina magnitud. natur. Caetera aucta. 2. specimen completum c. theca et operculo. 3. pars superior folii magis aucta. 4. theca deoperculata. 5. Calyptra.

NB. Nomen in honorem Thielei, herbarii Berolinensis custodis iam emortui inditum.

Excursio.


Funariacearum species primo intuitu cognoscere licet. Sunt enim musci acrocarpi terrestres, annui, simplices (rarius e ventro prolifero divisi) parce foliosi. Folia laxa, tenera, saepius concava, parcius viridia-flavescentia vel pallida, amplis cellulis oblongis hexagonis pellucidis constructa, ob chlorophylli defectum sicca scariosa, in aqua tarde reviventia. Calyptra magna campanulata aetate provecta irregulariter latere vel basi lacera. Semina maxima. Flores masculi disciformes. Genera huius familiae sunt: Ephemerum, Physcomitrium (c. Rottleria), Enthostodon, Discelium et Funaria.

Tab: I.




K. Müller del.

Hookeria Patrisiae Hmp:



Hookeria Pappeana Hmp.

K. Müller del.




Hookeria Meyeniana Hmp.

K. Müller del.




Hookeria Pöppigiana Hmp.




K. Müller del.

Leskea circinalis Hmp:



K. Muller del.

Leskea homomalla Hmp.



F. Müller del.


Leskea Beyrichii Hmp:

Tab. VIII




K. Müller del.

Hypn. Meyenianum Hmp:




K. [illegible] del.

Hypn. subulatum Hmp.




K. Müller del.

Hypn. verrucosum Hmp.




K. Müller del.

Hypn. brachycarpon Hmp



K. Müller del

Hypn. Gueinzii Hmp.




Fabronia Hampeana Sonder.



Regmatodon parvulus Hmp.




Leucodon brachypus Brid.



P. Müller del.

Leucodon curvirostris Hmp.



K. Müller del.

Leucodon Cryptotheca Hmp.



K. Müller del.

Leucodon gracilis Hmp.



Harrisonia squarrulosa Hmp.




J. Müller del.

Macromitr. cuspidatum Hmp.



K. Müller del. **Polytrichum capense** Hmp.




Catharinea Javanica Hmp.




Thysanomitr. stenocarpum Hmp. Thysanom. scabrisetum Hmp.

K. Müller del.



E. Müller del.

Dicranum assimile Hmp.




Bryum Preifsianum Hmp.



Bryum australe Hmp

K. Müller del.



Mielichhoferia pellucida Hmp.



W. Müller del.

Trichostom cirrhatum Hmp.



K. Müller del.

Trichostom. calcicola Hmp.



K. Müller del. **Physcomitr. Thieleanum** Hmp.

ICONES MUSCORUM

novorum vel minus cognitorum

AUCTORE

Ernesto Hampe

Blankenburgense.

DECAS PRIMA.

BONNAE

sumptibus Henry & Cohen.

1844.

Hookeria Patrisiae.	Leskea homomalla.
" " Pappeanae.	" " Beyrichii.
" " Meyeniana.	Hypnum Meyenianum.
" " Pöppigiana.	" " subulatum.
Leskea circinalis.	" " verrucosum.

12

ICONES MUSCORUM

novorum vel minus cognitorum

AUCTORE

Ernesto Hampe

Blankenburgense.

DECAS SECUNDA & TERTIA

BONNAE

sumptibus Henry & Cohen.

1844.

DECAS SECUNDA

Hypnum brachycarpum.
Gueinzii.
Fabronia Hampeana.
Regmatodon parvulus.
Leucodon brachypus.
Leucodon curvirostris.
" cryptotheca.
" gracilis.
Harrisonia squarrulosa.
Macromitrium cuspidatum.

DECAS TERTIA

Polytrichum capense.
Catharinea javanica.
A. Thysanomitrium stenocarpum.
B. " scabrisetum.
Dicranum assimile.
Bryum Preissianum.
Bryum australe.
Mielichhoferia pellucida.
Trichostomum cirrhatum.
" calcicola.
Physcomitrium Thieleanum.

